

truuus, seu patris frater, *amita* patris soror, *avunculus*, seu matris frater, *matrateria*, seu matris soror; quibus in eodem gradu respondent nepos vel neptis ex fratre aut sorore.—In III. gradu sunt: *magnus patruus*, seu avi paterni frater; *magna amita*, seu avi paterni soror; *magnus avunculus*, seu avi materni frater; *magna matrateria*, seu avi materni soror: quæ nomina etiam applicantur fratribus et sororibus aviæ paternæ et maternæ; nam in hoc tertio gradu concurrunt in linea masculina frater et soror avi paterni, item frater et soror aviæ paternæ: et in linea fæminina frater et soror avi materni, item frater et soror aviæ maternæ: quorum omnium nomina non habemus, sed propinquum pro propinquo usurpamus. His in eodem gradu correspondent *pronepotes et proneptes* ex fratre aut sorore.—In IV gradu est *magnus propatruus*, seu *abpatruus*, hoc est, abavi paterni frater, *magna proamita* seu *abamita*, hoc est, abavi paterni soror, *magnus proavunculus* seu *abavunculus*, hoc est, abavi materni frater, *magna promatrateria* seu *abmatrateria*, hoc est, abavi materni soror. Eadem nomina applicantur fratri et sorori aviæ paternæ et aviæ maternæ; licet in linguis vernaculis significationes istæ perperam quandoque confundantur. His in eodem gradu correspondent *abnepotes et abneptes* ex fratre aut sorore.

Regul. III. Pro linea transversa inæquali, *collaterales tot gradibus inter se distant, quot gradibus remotior distat à communi stipite*. Nam ex collateralibus non potest alter alteri esse propinquior, quam sit propinquus stipiti, à quo communis sanguis trahitur; ergò necesse est, ut remotior ad suum gradum trahat propinquiorem; licet in dispensationibus inæqualitas, seu mixtio graduum exprimenda sit. Sic patruus et nepos ex fratre distant duobus gradibus, seu gradu secundo mixto cum primo; quia nepos ab avo distat duobus gradibus, licet patruus distet tantum uno gradu: ita regulæ istæ traduntur *cap. 2. et seqq. 35. q. 5. c. fin. h. t.* Ex quibus optimam in mente consanguinitatis arborem efformabis, et in chartula, computatis personis usque ad communem stipem, facile quarumlibet personarum distantiam deprehendes.—At in ordine ad successiones et hæreditates in utroque foro civili et Canonico, observatur computatio secundum jus civile, ut tot sint gradus, quot generationes seu personæ, una dempta, ut dixi L. III. *tit. de Success. ab intest.* Rationem diversitatis dat Alex. II. *cit. c. 2.*: *Quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam: idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nuptiæ sine duabus non valent fieri personis; ideo sacri Canones duas in uno gradu constituere personas etc.*

94. Q. VII. *Quomodo computentur gradus affinitatis?*

R. Secundum unicam regulam: *Quo gradu est unius conjugis consanguinitas, eodem gradu est alterius affinitas; seu in illo gradu est aliquis affinis uxori, in quo gradu est consanguineus marito.* Et econtrà: *in illo gradu est aliquis affinis marito, in quo gradu est consanguineus uxori:* et quidem, si consanguineus est in linea recta vel transversa, erit quoque affinis in linea recta vel transversa.

In linea recta maritus et uxor, qui sunt principium affinitatis, contrahunt affinitatem cum his personis, quæ in linea recta sunt consanguineal-

terius, ut in primo gradu ascendentium est *socer* seu pater mariti aut uxoris, *socrus* seu mater mariti, aut uxor simul ad invicem vocantur *consoceri, consocerus*, quorum filii et filiæ nuptias simul contraxerunt. His correspondet *gener* seu maritus filiæ, et *nurus* seu uxor filii. Item in eodem gradu sunt *vitricus* seu maritus matris, et *noverca* seu uxor mariti: *privignus*, seu filius ex alio matrimonio natus, et *privigna*, seu alia ex alio conjugate seu matrimonio nata: *socer, socrus, vitricus, noverca* sunt affines in primo gradu ascendentium, eorum parentes seu prosoceri in secundo, illorum avi in tertio, et abavi in quarto gradu affinitatis. *Gener et nurus, privignus et privigna* sunt in primo gradu descendentium: liberi privigni aut privignæ in secundo: nepotes et neptes in tertio: pronepotes et proneptes in quarto gradu descendentium. Unde maritus in linea ascendentium non potest ducere uxoris matrem, nec aviam, nec aliam ex ascendentibus: et in linea descendentium non potest ducere privignam, nec ejus filiam aut neptem, aut aliam ex descendentibus. Similiter uxor non potest nubere socero, seu patri mariti, avo et alteri ex ascendentibus, nec privigno, ejus filio, nepoti vel alteri ex descendentibus. Ratio horum omnium est, quia personæ istæ comparantur parentibus et liberis in linea recta, inter quos non decet matrimonia celebrari (*lib. 14. §. 4. ff. de ritu nuptiar.*)

In linea transversa maritus cum consanguineis collateralibus uxoris, et uxor cum consanguineis collateralibus mariti contrahit affinitatem. Et quidem: in linea ascendentium maritus non potest ducere sororem soceri, vel socrus, nec aviam aliasque fæminas ascendentes. Similiter uxor non potest nubere fratri soceri aut socrus, nec illius avo vel alteri ascendenti usque ad quartum gradum. Item in linea transversa descendentium maritus non potest ducere sororem uxoris, nec ejus filiam, neptem et proneptem; in quâ terminatur quartus gradus affinitatis. Similiter uxor non potest nubere fratri mariti, nec ejus filio, nepoti aut pronepoti, quia impedimentum affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum extenditur. Et hæc est tota tabula affinitatis meo judicio clarior, quàm si per figuras depingeretur. Nomina affinium collateralium non habemus in usu, nisi sequentia: *levir*, frater mariti; *glos glotis*, soror mariti; *uxorius*, frater uxoris; *fratria*, uxor fratris; *sororius*, sororis maritus; *congeneri* duarum sororum mariti; *janitricæ* duorum fratrum uxores. Congeneri inter se, et janitricæ inter se non fiunt affines de jure Can. Unde si Titius ducat Bertam, ejusque sororem Cajam ducat Mævius viduus, mortuo Titio, filius Mævii ex alia uxore procreatus ducere potest Bertam, dummodò Mævius non sit consanguineus Titii.

95. Q. VIII. *Quæ personæ nullam contrahant affinitatem impeditivam matrimonii?*

R. Ex dictis, præter maritum cum consanguineis uxoris, et præter uxorem cognitam cum consanguineis mariti usque ad quartum gradum, nulla alia persona ex consanguineis duarum cognationum contrahit affinitatem. Unde:—1.º Si viduus habeat filium, et mater vidua filiam, potest pater viduus ducere viduam, vel filiam ejus, et filius filiam viduæ, vel ipsam viduam, si pater duxit ejus filiam.—2.º

Duo fratres possunt ducere duas sorores.—3.º Pater mariti potest ducere matrem nurus, seu ejus, quæ est uxor filii: et è converso pater uxoris potest ducere matrem generi.—4.º Privignus potest ducere matrem, filiam ex alio marito natam, vel sororem novercæ; et privigna potest nubere patri filio, aut fratri vitrici: nam privignus et privigna solius vitrici aut novercæ fiunt affines, non verò personarum eis cognatarum.—5.º Si frater et soror moriatur, illius uxor, et istius maritus superstites rectè inter se contrahunt, quia nulla affinitate ligantur.—6.º Si duo fratres mortui sunt, Titius successivè potest ducere utriusque uxorem; dummodò uxores istæ non sit inter se consanguineæ.—7.º Privignus vidui, si is deinde aliam uxorem ducat, et moriatur, potest contrahere cum relicta sui vitrici; nam privignus iste est tantùm affinis vitrici; uxor autem non contrahit affinitatem cum affinibus, sed cum consanguineis mariti.—8.º Maritus Bertæ, ea mortua, ducere potest privignam Bertæ, quia cum hac affinitatem non contrahit. Et similiter uxor mariti habentis privignum ex priori uxore, mortuo marito, potest privigno nubere; et sic de ceteris.—Omnes enim casus facillimè, et sine timore solves, dummodò observes principium suprà traditum, quòd scilicet nullus affinitatem contrahat, nisi maritus cum consanguineis uxoris, et uxor cum consanguineis mariti. Nec curanda sunt hic jura civilia, si quid contrarium statuunt.

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI. ^a

96. *Nota I.* In hac rubrica tria membra distingui, quia inhabilitas ad actus conjugales provenire potest, vel ex frigiditate, vel ex maleficio, et vel ex impotentia seu naturali indispositione partium genitalium ad copulam. Hic omissa hac differentia, *impotentia* generaliter accipitur et definitur: Inhabilitas personarum ad copulam carnalem consummandam, undecumque proveniat. Et communiter ex hac rubrica vocatur *impotentia coeundi*, quæ differt ab *impotentia generandi*, quæ, stante facultate ad coeundum, dari potest ex defectu seminis prolifici, sicut in sterilibus. In hac materia omitto cetera, quæ ad medicos potius, quam Canonistas spectant.

Nota II. Impotentiam dividi:—1.º In *perpetuam*, quæ per media naturalia et licita tolli non potest, vel nonnisi difficillimè, cum probabili periculo mortis, licèt forsàn tolli possit per miraculum, aut maleficio: et *temporalem*, quæ per media naturalia seu ordinaria et licita tolli potest absque periculo mortis, licèt forsàn non absit periculum morbi gravis: ita

^a—Agitur de hac materia in Decreto 33. q. 1. *per tot.*, et examinatur hic molestum impedimentum *impotentia*.

com. DD. ex *cap. 6. h. t.* Talia remedia sunt, præter artem medicorum et peritorum, etiam spirituales Ecclesiæ, exorcismi, preces et hujusmodi media apud fideles usurpari solita.—2.º In *absolutam*, quæ impedit veram copulam cum omnibus personis diversi sexus: et *respectivam*, quæ impedit copulam cum una vel altera persona propter nimiam inæqualitatem et improprietatem: cum aliis verò proportionatis eam non impedit.—3.º In *antecedentem*, quæ ante matrimonium contractum extitit in persona: et *consequentem*, seu *supervenientem*, quæ matrimonio jam contracto supervenit.—4.º In *naturalem*, quæ oritur ex vitio naturali, v. g. ex defectu aut ineptitudine partium genitalium: et plerùmque incurabilis et perpetua est; et *accidentalem*, quæ oritur ex vitio accidentali vel intrinseco, v. g. ex humorum intemperantia, vel extrinseco, v. g. ex maleficio, morbo etc.

97. Q. I. Quæ impotentia dirimat matrimonium?

R. 1.º Impotentia ad veram copulam, modò sit perpetua et antecedens, dirimit matrimonium; et quidem absoluta respectu omnium: respectiva verò respectu eorum, cum quibus persona coire nequit: ita com. ex *c. 1. 2. h. t.* Nam talis impotentia jure naturali impedit translationem juris conjugalis: siquidem non potest dari potestas ad id, quod tradi non potest; sicut in nostro casu nec actu, nec potentia debitum reddi valet; ergò talis impotentia dirimit matrimonium. Tum quia per illam impeditur primarius finis matrimonii, quo vir et mulier fieri possint una caro; ergò.—Porrò impotentia *ad veram copulam* tunc censetur esse, dum vel non potest fieri coitus ob indispositionem membrorum, ita ut vir debitè emittere, aut femina intra vas semen recipere nequeat, vel dum mas coire valens, verum semen emittere non potest: ob quam causam spado, si à natura, vel ex castratione utroque testiculo privatus est, non contrahit validè matrimonium, ut declaravit Sixtus V. an. 1787. teste Sanch. et aliis; quia verum semen emittere non potest. Si tamen talis defectus superveniat matrimonio contracto, non impedit copulam, etsi per accidens verum semen non emittatur, quia vitium superveniens non debet conjugem privare jure quæsito.

2.º Valida censetur matrimonia, quæ ineunt senes decrepit et steriles; dummodò apti sint ad coitum; nam verum semen emittunt, licèt per accidens non sit prolificum. Exempla habes in SS. Elisabetha, Anna etc., tum etiam quia potentia verò *coeundi*, non verò potentia *generandi* cum effectu, est de substantia matrimonii, quod sterilibus esse potest saltè in remedium concupiscentiæ: secùs est, si sterilitas et evitatio prolis deduceretur in pactum (*cap. fin. de condit. appos. Can. 6. solet. 32. q. 2.*) Illa verba *volo esse mater, cap. 1. hoc. tit.*, idem significant *ac volo cognosci à viro*, quod fit etiam inter steriles.—II. Valet matrimonium spadonis uno tantùm testiculo carentis, ceteroquin apti ad copulam; quia verum, imò et prolificum semen emittere potest. Idem dic de constituto in articulo mortis, quia per se habilis est ad copulam, licèt per accidens ob vim morbi impediatur.—III. Valet matrimonium feminae aptæ ad copulam, etsi sine periculo mortis numquam pariat, quia hoc periculum non causat impe-